TRADITIO HISTORICA DE MAGDEBURGI OPPUGNATIONE ET EVERSIONE A. 1631 FACTA QUO MODO SENSIM MUTATA SIT.

DISSERTATIO INAUGURALIS HISTORICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

UNA CUM THESIBUS A SE PROPOSITIS

DIE XXIX. M. FEBRUARII A. D. MDCCCLXVIII.

HORA XI.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

OTTO KRETSCHMANN

SAXO-BORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT

E. HAASE, CAND. PHIL.

E. KARTHEUSER, STUD. IUR.

HALIS SAXONUM.

FORMIS PLOETZIANIS.

Urbem Magdeburgum a Tillio eversum esse quasi dogma historicum circiter per duo saecula ab universis protestantibus creditum est, donec contemplatio critica edocuit, quam incerta sit ejus rei fides. Quodsi destruit critice omnesque aedificii partes rescindit ad primariam ejus formam a serioris temporis opificibus additas, e contrario ego conabor demonstrare, quo pacto potuerit fieri, ut traditio historica induta sit illo colore ut nunc dicunt romantico, cujus specie Magdeburgum denique martyrium pro fide protestantica subiisse, Tillius vero vecors fuisse incendiarius videbatur, qui quum fanatico ardore cathalico agitatus haereticam urbem exitio traderet horrendo, sese loco in re bellica opportunissimo ipse privaret.

Duplex in hoc opere mihi finis propositus est: alter, ut scriptores belli triginta annorum secundum historicam dignitatem iis tribuendam relationemque inter eos intercedentem cognoscam, alter, ut perspiciam, quo pacto traditio historica potuerit et conformari et adulterari. Quo ut pervenirem, de facto mihi agendum intellexi, quod tempore belli Sueco-Germanici includeretur, quia complures auctores ejus periodi, qualis Arlanibaeus pseudonymus, Burgus, alii, opera sua ab introitu Gustavi Adolphi in Germaniam demum incipiunt; quod ad alterum finem pertinet, eversio Magdeburgi eo mihi erat commoda, quod hoc factum, quia gravissimi momenti erat, prae plerisqne rebus bello triginta annorum gestis enarratum est in copiosissimis scriptis et ab omnibus fere, qui historiae recentioris aetatis scribendae operam dedorunt, pluribus commemoratum. Ea ipsa materiae ubertate difficile mihi redditum est eam coërcere, quum et carerem fido duce [1]) et com-

[1]) Et in „Struvii bibliotheca historica selecta“, ed. Buder, retract.

plura opera praeteriri posse mihi viderentur, quae annalium simillima Magdeburgi excidium non data causae ratione simpliciter referunt et sic ad conformandam traditionem haud multum fecerunt[1]), denique complura opera adipisci non potui[2]) Itaque seriei auctorum, quorum hic ratio habita est, non omnia membra addita sunt, quae jure addi debuissent, sed id tantum mihi agendum putavi, ut viam persequerer, quam traditio historica ingressa est.

Certum obsidionis Magdeburgi initium quum multum inter se differant hac in re narrationes a diversis scriptoribus traditae hic statui non potest. Quum enim quidam, et ii praecipui auctores, continuam expositionem oppugnationis inde a. d. 30. Mart. (9 Apr.) quo die Tillius e regione Pechaviensi cum universis copiis appropinquavit, postridie munimentorum exteriorum partem capturus, decurrentem exhibeant, alii contra simul res in urbe et circum inde ab initio a. 1631. gestas referunt, alii vero ab eo demum tempore obsidionem accuratius enarrant, quo nrbs, Sudenburgo et Nova Urbe derelictis, augustissime cincta est. Itaque commodissimum videtur, de urbe Magdeburgo a. 1631. obsessa et eversa scribere, quamquam temporis diebus 30. Mart. (9. Ap. et 10) 20. Maj. inclusi praecipua ratio habenda est. Neque latius temporis spatium complectitur enarratio facti illius, quae traditur in „Armis Suecicis."

Ex hac fundamenta sumpta sunt omnium relationum illius rei per universum tempus usque d novissima decennia lapsum. Fontes ejus jam G. Droysen demonstravit et recensuit[1]) Hoc loco id agendum est, ut demonstretur, quo modo

Meusel, et in ,,Wachleri Geschichte der historischen Forschung" complura nomina quae commemorentur digna silentio praetereuntur. Wachler e. g. ne Carafae quidem et Wafferbergii mentionem facit.

[1]) E. g. Petavii Rationarium temporum.

[2]) E.g. Lungvitii „dreifachen schwedischen Lorbeerkranz." Chronicon Piasecii, Lauream Anstriacam Julii Belli, Mercurium Gallo-Belgicum, al.

[3]) „Studien zur Belagerung und Zerstörung Magdeburgs i. J. 1631." Forschungen, tom. III.

traditionis historicae origo jam primis in enarrationibus sive propter certam quoddam consilium sive quo singulae res arctius inter se connectantur, additamentis obveletur idque velamentum in relatione iterum ac tertium repetita, e quibus jam acrius partium studium apparet, sensim condensetur receptis rumoribus, rebus minusculis aut affictis aut omissis. Quo consilio res singulares erunt attingendae, quae per se quidem saepe leves, tamen dignae sunt, quibus animus advertatur: primum, quia eadem res apud duos auctores inventa argumento est, recentiorem auctorem e veteriore hausisse; deinde quia hujuscemodi res demonstrant, quam longe aliqui auctor ab iis, quae certa et vera esse fontium suorum fide persuasum ei est, discedere audeat; denique, quia eaedem res singulares, utpote propria auctoris additamenta, quo loco is steterit et quo colore tinctam rem viderit, manifestissime ostendunt.

Primae Armorum Suecicorum editiones, quorum auctor se nominat Arlanibaeum, jam a. 1631 in lucem prodierunt[1]. Hujus operis indoles plane compilatoria in historia facti nostri manifesto apparet, quae ex quibusdam partibus duorum libellorum protestanticorum, quorum tituli sunt: ,,Copey" et „Truculenta expugnatio," et unius catholici, qui inscriptus est: „Ausführlicher und gründlicher Bericht[2]", ac potissimum protestanticorum illorum tota composita est. Certum quoddam auctoris in eligendis narrationis suae partibus consilium non apparet. Primis enim in editionibus relationes e „Copey" depromptas contrahens breviorem redditurus narrationem videtur, refert autem pariter prolixe ac ,,Truculenta expugnatio" de horrendis facinoribus a Caesarianis post expugnationem Magdeburgi commissis, repetitque, quae illic sunt tradita de proditionis in capienda urbe auxilio. In editionibus proximorum annorum auctor relationem amplificat intertextis iis, quae inter Tillium et urbem per literas sunt acta. Qua ex diver-

---

[1]) De variis Armorum Suecicorum editionibua v. G. Droysen Arlanibaeus, Godofredus, Abelinus, sive" cet.

[2]) Totos titulos v. apue G. Droysen, „Studien" cet. Beil. 2.

sitate narrationum hunc auctorem fuisse rudem compilatorem liquet, qui oblata reciperet, qualiacunque occurrerent. Hanc ejus fuisse rationem inde quoque apparet, quod in secunda editione Armorum Suecicorum in fine historiae oppugnationis atque excidii Magdeburgi fatetur, se relationem suam „unter anderen unterschiedlichen, so es biss diese Zeit abgeben, ausgelesen habe [1]," eamque aucturum se esse nuntiis recentioribus, si quos occasio obtulerit, polliceter.

In opere ita confecto certum consilium in favorem alterutrius partis tendens quaeri vix potest. Quod pertinet ad confessionem omnino protestantici quiddam redolet; politicam vero factionem si respicis, titulo magis quam ipsa libri materia cui addictus fuerit auctor edoceris. Ut aliarum rerum cum gestis armorum Suecicorum non connexarum narrationes, sic copiosa quoque relatio de obsidione et excidio Magdeburgi demonstrat, hunc auctorem in componendo libro suo studium rei Suecicae juvandae solam regulam sequi nescivisse. Gustavus Adolphus non ipse pugnans adfuerat proeliis circa Magdeburgum factis, sed tantum ethico quasi vinculo conjunctus erat cum urbe, quippe cui auxilium se laturum promisisset, atque hanc inter urbem et regem relationem respiciens auctor tractare et favorem rei Suecicae manifestare debuit. Apologia Gustavi Adolphi brevi post Magdeburgi interitum promulgata argumento est, magnam partem culpae calamitatis illius publico judicio regi attributam esse. Ipse igitur auctor tentare debebat regem ab hac criminatione liberare. Ex eo enim, quod apologiam, quae culpam partim urbanis ipsis, partim electoribus Saxoniae et Brandenburgi foederi Suecico resistentibus adscribit, in librum suum auctor recepit, non sequitur, eum et alteri causarum allatarum veritatem tribuere. Magdeburgensium quidem incusationi eum assentiri ex eo elucet, quod ipse eos arguit et illiberalitatis in milites praesidiarios, qua hi coacti fuerint, alimenta mendicando sibi quaerere, et proditionis negligentiaeque in defen-

---

[1]) Arm. Succ. (1631) p. 114.

sione urbis, novum munimentum ad Novam Urbem exstructum, ubi res in discrimen venit, non satis firmatum fuisse custodiis contendens.

Haec narratio parum perfecta si formae, anceps si consilii rationem habes, quoniam in ejusdem auctoris ceteris operibus duobus, „Inventario Suecico" et „Theatro Europaeo" omnino fere est eadem [1]), saeculo decimo septimo fundamentum historiae expagnationis Magdeburgi statuit. Duo auctores, Wassenberg et Adezreitter, huic sententiae soli adversantur, quam tamen vera esse optime comprobatur e lacuna, quae est in fundamento et per totum aedificium ci impositum porrigitur.

Scilicet si secundum ordinem chronologicum enarrationem Armorum Suecicorum persequimur de oppugnatione et eversione Magdeburgi, Tillium die 30. Mart. 19. Apr. propriam! oppugnationem incepisse accepimus, quum inter munimenta ad Prester et ad Kreuzhorst sita consisteret. Primum vallum „Trutz Pappenheim" huic munimento propinquum, deinceps id ipsum aggressus est, atque ex iis, quae eam ad rem die certo non dicto instituta sunt, licet colligere, impetum postridie demum, d. 31. Mart. / 10. Apr. esse susceptum. Qua de re certioribus nobis statuendum erit, expugnationem munimenti Presterensis, cujus narratio pariter incerto termino „folgendes Tags" incipitur, d. 1/11. Ap. factum esse. Eodem die etiam turris Cracaviensis expugnata est secundum verba: „Darauff aber die Kayserische nicht gefeiret, sondern stracks auff den Thurm nach Crakaw zugezogen." His autem verbis adversari videntur haec: „Weil aber der Herr Graf Tylli mit fünf groben Stücken Geschütz von frü Morgens an bis umb den Mittag auff selbigen starck gespielet;" nam si Tillius jam multo mane turrim Cracaviensem oppugnare coepit, quo tandem tempore munimentum Presterense cepit? Certe non urgendus est terminus „frü Morgens", sed statuendum, munimentum Presterense matutino tempore expugna-

[1]) v. G. Droysen, „Arlanibaeus, Godofredus, Abelinus sive cet."

tum esse, valla Cracaviensia antemeridianis horis capta. Quae dum a Tillio geruntur, Mansfeldius Bucaviensibus munimentis potitus est, ergo tempore usque ad d. 1./11. Ap. lapso. Jam si Arma Suecica ita pergunt: „Weil nun der Graf Tylli befunden, dass er von vornen her an der Zollschantzen nichts verbringen könnte, hat er sich an die Schantz, im rohten Horn gelegen, gemacht," ex his verbis cognoscimus, prius quam manimentum in Cornu Rubro vitum impugnatum esse Vectigal munimentum, quam rem Arma Suecica non referunt, et celerrime res antea gestas sese excipere videntes facere non passumus, quin et impetum non relatum in Vectigal munimentum et incursionem munimenti in Cornu Rubro siti ejus que expugnationem, nec non praesidium Vectigalis munimenti in urbem receptum proximo in tempore post expugnationem munimentorum Cracaviensium ponamus, idque eo similius veri est, quod hoc modo munimentorum exteriorum expugnationes continua quasi catena videntur. Lacunam subesse narrationi Armorum Suecicorum tum demum sentitur, quum legitur, suburbia Magdeburgi, Sudenburgum d. 21. Ap. 1. Maj., Urbem Novam d. 23. Ap./3. Maj. flammis tradita esse a civibus, et hanc d. 24. Ap./4. Maj. a Pappenheimio occupatam. Quodsi instituto hoc rerum ordine temporis spatium usque in decadem 1./2. mens. Ap. expletum est, ultro quaeritur: quid actum est temporis intervallo usque ad d. 21. Ap./1. Maj.? Quae quidem lacuna paene trium hebdomadum e relatione Armorum Suecicorum ipsa expleri nullo modo potest. Orta autem est inde, quod auctor Tillium Francofurtum a. V. versus discessisse silentio praeterit, quam discessionem inter munimentorum Cracaviensium Bucaviensiumque expugnationes et munimenti in Cornu Rubro siti interponere debuisset. Quod de discessione silentium causam habet in natura fontium Armorum Suecicorum, qui suo jure illud iter Tillii ab argumento suo alienam existimaverunt, quum ita dux discessurus copias disposuisset, quas reliquit, ut oppugnatio non intermissa esset. Nihil igitur auctor noster in fontibus suis de Tilli profectione relatum inveniens nullam

ejus facit mentionem; quod est novum indicium rudis compilatoris. Sin ea lacuna neque a posterioris temporis historicis est animadversa, hac re non solum eorum scribendi ratio arguitur, sed demonstratur etiam, eos fundamenta ab auctore Armorum Suecicorum structa pro authenticis habuisse neque ultra ad eorum fontes regressos esse.

Argumentum haud minus grave, quo complurus auctores totos in Armis Suecicis a. 1632 editis niti demonstratur, in eo popitum est, quod locos, qui sunt harum editionum proprii necdum in superioris anni editionibus inveniuntur, in libros suos receperunt. Agitur in priore de causis, cur tormenta hostium post meridiem d. 9/19. Maj. conticuerint et incursio usque post horam septimam d. 10/20. Maj. retardata sit; quae quidem causae ponuntur in gravi Tillii de impetu suscipiendo dubitatione. Deinde altero loco narruturI Tillius suis in tesseram dedisse nomina „Jesus Maria," et vittam albam qua brachium cingeretur [1]). Qui loci, quum neuter fontium testimoniis possit confirmari, aut inventi sunt ab auctore aut nati in traditione fando vulgata. Illa quidem conjectura nominum rotionem habenti eo probabilior videtur, quod credibile est, auctorem nostrum celebrem illam apud Catholicorum exercitus tesseram hic quoque supponere.

Nihil obstiterunt vitia formae et materiae illa a nobis exposita, quo minus haec enarratio late divulgaretur, non solum in Germania — testantibus numerosis editionibus et quae brevissimis temporis intervallis inter se distant, sed etiam in Francogallia, cujus in linguam versa Arma Suecica pluries edita sunt sub titulo „Soldat Suedois." Id opus primum in lucem prodiit sine autoris et loci nominibus. Verbis praefationis: Il. (Miles Suecicus) demande d'abord, que son nom n' effarouche personne et qu'on croit, qu'il n' est ni Goth ni Vandale, ni par naissance ni par interest, mais seulement suedois aventurier par rencontre et obligation militaire" auctor inter milites a Sueciae rege conductos se nu

[1]) v. Droysen, Studien cet., pp. 534. 540.

merari vult. Eum fuisse Fridericum Spanheimium opinati sunt, illo tempore professorem Genevensem [1]) sed haec opinio adhuc accurate comprobari nondum potuit. Editio saltem mihi obversans nullum praebet vestigium, ex quo auctor indagetur.

Brevi in exordio sui esse juris ille vidətur. Aequus enim in utramque partem esse studens non solum eas recenset rationes, quibus Sueci invasionem suam justam esse demonstrare conabantur, sed etiam ea, quae Caesariani illis opponebant. Deinde brevis mentio fit foederis inter Sueciam et Francogalliam mense Januario a. 1631 Baerwaldi icti, ,et conatuum componendarum controversiarum inter Suecos et Caesarianos ortarum, qui facti sunt Gedani mense Aprili a. 1630. Congruere incipit Miles Suecicus cum Armis Suecicis a relatione de adventu Gustavi Adolphi in terram Germanicam, neque usquam inde ab iis discrepat. Quo naturam derivationis adumbrem, ex utroque opere initium historiae oppugnationis Magdeburgi hoc loco proponam:

Sold. Sued. p. 54.	Arm. Suec. p. 100.
Ceux de Magdebourg, voyans l'approche de l'armée Imperiale, sortent au commencement du mois de Mars de la ville, bastissent un fort sur la riviére de l'Elbe à une lieue loin de la ville, tracé de Falkenberg pour avoir un pied dans l'Electorat de Saxe et moyen d'en tirer des provisisions au besoin En effet ce fort fut avantageux, à la faveur duquel ils enlevérent beaucoup de vivres et de Gommeren et	Zu Anfang des Monats Martii sind die Magdeburgische Officiereraussgezogen und ohngefehr ein' Meil' Wegs über der Stadt an dem Elbstrom nach Schönebeck zu ein Reduct auffgeworffen, auff Ordinantz dessen von Falckenberg, in meynung, durch solches Werck den Pass in das Churfürstenthumb Sachsen offen zu halten, damit sie Proviant für ihre Soldaten, veil bei den Bürgern nicht viel für selbige

[1]) Bayle, dictionnaire historique et critique s. v. Spanheim, not. D. A la priere de l' Envoié de Gustave Adolphe it composa un livre qui a beausoup de debit sons le titre de Soldat Suedois.

de Barby, où les Imperialistes avoient pris peine de dresser un magazin pour cux.

kunte erlangt verden, einholen könten. Wie denn solches eine Zeit lang ihnen wohl angangen, dass sie durch Mittel dieser Schantzen, durch den Creutzhorst, in welchem Holtz dieselbige geleget, allein von Gommeren her in Barbey eingefallen und über 50 Wispel Korn, so selbiges Orts auff dem Rathskeller von Kayserlichen Officirern und andere Landsassen sind geschüttet gewesen, abgeholet uns in die Stadt gebracht.

Brevis haec comparatio ad staduendam relationem, quae intercedit inter Militem Suecicum et Arma Suecica, sufficiet. Contrahens tantum narrationem eo modo, qualis comparatis e locis apparet, mutat auctor derivationis opus primitivum, atque hac in re liber a singulari quodam studio, ea tantum, quae ad rem minus facerent, de relatione Armorum Suecicorum resecare studuit. Id prospere perficit in historia oppugnationis atque eversionis Magdeburgi namque praeter expugnationem munimentorum Cracaviensium et ruinam turris ad Portam Altam exstructae nullam memoria dignam rem praetermittit. Quum igitur plane Arma Suecica sequatur. propriam vim in formanda traditione exercere non potest[1]), verum tamen singulare momentum eo sibi vindicat, quod fundamentum historiae facti repetitis editionibus pariter in Francogallia constituit atque Arma Suecica in Germania fecerant.

---

[1]) De prima saltem editione id constat. De ratione inter posteriores hujus et Armorum Suecicorum editiones intercedente nihil certi habeo, quum illarum nullam potuerim arquireree Laxior tamen relatio facta esse videtur, quum Senkenburgius (Fortsetzung von Häberlin's deutscher Reichsgesch., Bd. 26) et O. Kloppius (Tilly, Bd. 2.) famosum illud responsum: „Kommt in einer Stunde wieder etc.“ ad solum Militem Suecicum reducunt, ut ejus proprium esse videatur.

Documentum inprimis manifestum authenticae auctoritatis, quae tribuebatur enarrationi oppugnationis et eversionis Magdeburgi in Armis Suecicis datae, in eo mihi videtur inesse, quod etiam Leo de Aitzema totus ea nititur, quatenus illa facta in opus suum: „Historie of Verhael van Staet en Orlogh" recepit. Huic scriptori legati urbium maritimorum Hagae comitum locum tenenti, haud difficile fuerit, genuinas relationes in suum usum comparare. Aitzema oppugnationem augustissimis finibus circumscribens, ejus expositionem eo loco incipit, quo amissis munimentis exterioribus arctissime cincta erat urbs, et postquam etiam tempus hinc secutum a d. 23. Ap./3. Maj. usque ad d. 9/19. Maj. paucis comprehendit, inde Arma Suecica in linguam hollandicam vertit eo usque, ubi apologia regis Sueciae enarrationi excidii adjungitur. Num operi Aitzemae si nostra historia respicitur, idem momentum in Hollandiam tribui possit ac Militi Suecico in Francogalliam, in ambigno relinquo, quoniam explorare non potui utrum illa in Historia, quae a. 1657 primum in lucem prodiit [1]), obsidio et expugnatio Magdeburgi primum hollandicis literis sint tractatae, an aliqua Continuationis Meterani [2]) editio jam antea fuerit facta hollandica.

Italorum quoque animos belli triginta annorum tempore rebus Germanicis valde intentos fuisse testimonio sunt complura opera tunc conscripta. Historiam belli Sueco-Germanici primus tractavit Petrus Baptista Burgus Genuensis. Opus ejus bis editum est: Leodii a. 1633, sub titulo „Commentarii de bello Suecico", et a. 1634 Coloniae, quae editio inscripta est „Mars Sueco-Germanicus." Quod attinet ad materiam historicam, hoc opus totum insistit in Armis Suecicis, formae autem majorem libertatem auctor sibi vindicat a fonte suo quam ii, de quibus adhuc egimus. Hinc tamen complures errores orti sunt, quibus animus est advertendus eam ob causam, quod in alia quoque Italorum opera transierunt, testantes quanta Burgi fuerit auctoritas apud posteros scriptores.

---

[1]) v. Wachler, Gesch. der hist. Forsch., tom. II. p. 772.

[2]) cf. infra p.

Opus ejus tres in libros divisum est secundum eos tres annos, quos Gustavus Adolphus in Germania degit. In exordio tamem auctor non sola Arma Suecica sectatur. Dum enim haec Gustavi Adolphi tantummodo argumenta tradunt publico in edicto ejus professa, quibus invasionem suam Germaniae justam esse demonstrare tentat, contrarias vero Caesarianorum rationes silentio praeterit, — sine dubio nullam aliam ob causam, atque quod Arlanibaeo nullum documentum has continens obversabatur, nam si ille, id quod suspicari quispiam possit, omnino res omnes Suecis adversas evitare voluisset, electorum universorum literas ad Gustavum Adolphum datas non recepisset, quibus illi dehortantes incepti injustitiam demonstrant - Burgus regis interressionem prorsus injustam depingit. Causam belli Sueco-Germanici solo ex metu principum protestanticorum natam esse ostendit ob incrementa potestatis Habsburgicae, ab iisque Sueciae regi summum belli imperium oblatum esse confirmat, nihil curans quod paullo infra ei obtrudatur res prorsus contraria, referenti, principes rei protestanticae, electores Saxoniae et Brandenburgi, foederi Suecico renisos esse. Inde apparet Burgum in praefatione manifesto Caesarianis favere, quam ob rem mihi non est credibile id, quod Joecher contendit, eum stipendia Suecica meritum fuisse.[1]) Namque etiamsi in ipso opere illa exordii sententia non resonet, unde justiciae laus auctori attributa est,[2]) id tamen inde tantum sequitur, quod ad fontem suum se arcte applicuit, cum quo congruere incipit ab hoc loco;

Comment. de bello Suec. p. 46.	Arm. Suec. p. 23.
Rex itaque libello hoc promulgato cum exercita quinderim mille militum navem con-	Diese Deduction ist erstlich in lateinischer Sprache verfertiget, nachmals aber zu Stral-

[1]) Joecher, Allgemeines Gelehrten-Lexicon, Th. I. sub Burgus: Johannes Baptista od. Petrus Baptista Burgus schrieb, weil er bei Gustavo Adolpho zugegen war" etc.

[2]) Buderi Bibliotheca §. XCI.

scendit felicique navigatione Rugiam quarto nonas Julias appulit, quo die festum divi praecursoris veteri calculo haeretici celebrant; ibidem quas adduxerat cum iis, quas ibidem invenit, conjunxit copiis totusque exercitus, ut afferunt, viginti milibus constabat.	sund in Teutsch übergesetzet und in Truck aussgangen. Auff den Tag Johannis des Täuffers kam der König mit etwa 15000 Mann auff die Insel Rügen an und conjungirte sich mit seinem vorhin daselbst liegendem Volck, mit welchem er damahls in die 20000 Mann starck wurde.

Non ubique tam arcte quam hoc loco Burgus ad fontem suum applicatur, verum omnino in eo tractando libertatem quandam sibi servare studet. Sic materiae meliorem ordinem eoque simul formam dat commodiorem quam qualis invenitur in Armis Suecicis. Fictis etiam orationibus effecit, ut levius flueret narratio. At his ex immutationibus oriuntur obscuritates multorum locorum inter se repugnantium et a veritate discedentium, quales etiam in relatione de obsidione et excidio Magdeburgi occurrunt.

Haec relatio exstat secundo in libro operis ut supra dixi tripartiti, et quidem connexa cum adumbratione rerum eo tempore gestarum, quo Pappenheimius, postquam Tillius Megalopolim petiit, imperium exercitus oppugnatorii tenebat, i. e. mensibus Februario et Martio. Quum majorem exercitus partem Tillius secum duxisset, talis erat Pappenheimii circa Mageburgum conditio, ut nihil aliud curare posset, nisi ut talem rerum statum servaret, qualem a Tillio acceperat. Nam quae a Tillio copiae ei relictae erant, eae ad urbem ultro aggrediendam certe non suppeditabant. [1]) Ex Burgi vero relatione non statis perspicue intelligi potest, utrum custodiverit Pappenheimius tantummodo an vel aggressus sit urbem. [2]) Etiam descriptio intestinarum turbarum in urbe de-

---

[1]) Testimonio est exstructio „succursus Magdeburgici,“ quae facta est initio mensis Martii. et Armorum Suecicorum relatio, Magdeburgenses id munimentum per totum mensem „unatlagniret“ obtinuisse.

[2]) Dicit enim Burgus: „Respiraverat post profectum Megalopolium

monstrat Burgum ejus conditiones parum perspexisse. Contendit enim turbas inde esse ortas, quod cives „Suecos Christiano servientes“ domibus suis recipere recusaverint.[1])

Neque temporis rationes in narratione Burgi sunt perspicuae. Hanc rem minus accurate ab eo tractari jam ex incerto vocabulo „circa“ cognoscitur, quod saepius pro certis temporibus fontis sui ponit. Verum in relatione eorum, quae dd. 7./17., 8./18., 9./19. Maj. evenerunt, temporum indicationes sunt prorsus confusae.[2])

Si ad illa obscura adjungimus vitia, quae apud Burgum in historiam obsidionis et excidii Magdeburgi irrepserunt, quia haud raro a fonte suo non solum aberrat, sed etiam tradit, quae prorsus contraria illi sunt, nulla talis discrepan-

---

Tillium Magdeburgum, soluta undiquaque obsidione, ... verum quum ab externo hoste securi quodam modo viverent (cives)“ .... At post brevem delineationem intestinarum in urbe turbarum „Pappenheimius,“ inquit, „qui nihil relinquebat intentatum, ut pro viribus, quas habebat, civitatem molestaret“ ....

[1]) Burgus, si omnino tribunos Schneidewind et Goeschen, qui mense Augusto 1630 pro administratore Christiano Guilelmo (Inv. Suec. p. 251.) et Falkenbergium, qui mense Octobri vel Novembri pro rege Sueciae milites conduxit, (Inv. Suec. p. 269.) respicit, tamen eos tantum mercenarios quos Falkenbergius collegerat, aliquo jure Suecos appellare potuit, non vero administratoris mercenariis hoc nomen dari potuit.

[2]) Narrat enim Burgus, turrim ad Portam Altam sitam concidisse a. d. XI. Cal. Jun., i. e. d. 12./22. Maj. Ea re perterritos Magdeburgenses tympanistam ad Tillium misisse oratum quatridui inducias, quibus de deditione ageretur. A Tillio eas esse recusatas et praeterea tubicinem in urbem missum cum tribus epistolis, ad administratorem, ad senatum, ad Falkenbergium, quibus deditionem postulasset. Exinde Magdeburgenses constituisse legatos ad eum mittere ad recipiendas conditiones. Quum antem interim Pappenheimius urbem acrius impugnare perrexisset, dedendam eam illos censuisse, eumque nuntium ad Tillium per tubicinem illum postero mane-ergo ratione ab illo die facta, a. d. X. Cal. Iun.-perferendum. Pro eo die Burgus XIII. scribit. Etiamsi quis hujus diei causa legere vellet XIV., posito errore typographico, ut quodam modo Burgi relationes inter se connecterentur, tamen hac mutatione ad veritatem non accederetur. Etenim Tillius novissimum tubicinem non d. 9./19. Maj., XIV. Cal. Jun., sed jam d. 8. | 18. Maj. in urbem misit.

tiae causa probabili,[1]) habemus vitia gravissima non solum relationis de facto nostro, sed etiam universae historiographiae Burgi, ac videmus, quam graviter iis forma traditionis primitivae perturbetur.

Ad tria illa opera, quae consideravi, accedit quartum, quod, si historiam obsidionis et eversionis Magdeburgi respicis, solis Armis Suecicis nititur, Sigismundi Freybergeri „Germania perturbata et restaurata. Is liber primum a 1650 prodiit et conditiones religionis in Germania discursibus catholizantibus“[2]) explicat. De quo facto nos agimus, id propria in enarratione non continetur apud Freybergerum; qui quidem nihil ultra fecit, quam ut quosdam singulos locos e relatione Armorum Suecicorum sumptos asyndetico modo componeret. Pauperrima hic exiit historia oppugnationis, aliquanto copiosior enarratio expugnationis, uberrtma relatio de miraculis, quae de interitu urbis praemonuerint. Tres hi gradus comparati docebunt, quam exigua sit auctoris historiae scribendae facultas, ut, quae singula insint vitiosa eaque haud pauca, singulari industria exponere supervacaneum videatur.

Freybergerus novissimus est auctorum quot mihi inno-

---

[1]) Sic. e. g. praefecturam urbanam post capta exteriora munimenta ita dividit, inter administratorem et Falkenbergium, ut illi diplomatica, huic militaria negotia attribuat. Tum derelicto pastremo vallo exteriore Vectigali munimento, id quod d. 20./30. Ap. demnm factnm est, administratorem et Falkenbergium dicit auxilium rogasse principes protestanticos, qui Lipsiam convenerant et jam d. 2./12. Ap. concilium suum finierant. Vectigal autem munimentum secundum Burgum ob malam conditionem-dicit id „vallum ex arenosa minimeque tenaci lerra conflatum,“ — derelinquitur, uno latere valli injectis bombis diruto; quae descriptio plane repugnat fonti Burgi, qui tradit et admodum solidum fuisse id munimentum, et Falkenbergium eam tantum ob causam praesidium inde revocasse quod munimento in Cornu Rubro a Tillio capto intercludi ab urbe facile potuisset.

[2]) Sic e. g. de imperatore Carolo V. hoc in libro dicitur: „Den allerersten Fehler hat man an ihm vermerket, dass er Martin Luthern wieder von sich in Sicherheit gelassen, da er ihn doch nach dem Exempel der allgemeinen Kirchen zu Kostnitz von der Erde sollen vertilgen.

tuerint eorum; qui historiam facti nostri ex Armis Suecicis hanserunt. Multo minoris momenti quam haec secundum opus ejusdem autoris fuit, „Inventarium Sueciae“ inscriptum, quod sub nomine Godofredi edidit. Constat id principe ex libro et ex appendice. Bipartitus ille liber princeps jam a. 1632 in lucem prodiit, ut secundus titulus testatur, et quidem antumnali tempore, ut apparet ex „Erinnerung an den günstigen Leser,“ in qua auctor dicit, id opus sibi quatuor mensibus „bis zur Frankfurter Herbstmess“ conficiendum fuisse. Ita opus proprium dumtaxat ad extremum mensem Augustum porrectum appendice demum usque ad finem anni deducitur, ut totum a. 1633. demum edi potuerit, qui annus in universi operis titulo legitur.

Oppugnatio Magdeburgi in secunda parte narratur. Auctor ea in re fontes Armorum Suecicorum in usum suum convertit, praeter quos Lungvitii „dreyfachen schwedischen Lorbeerkrantz“ in manibus habuisse mihi videtur, docentibus id verbis, quae p. 317. leguntur: „Dieser Discurs Lungvitii cet.“ Materiae ordo in Inventario minus etiam perspicuus est quam in Armis Suecicis. Favor rei protestanticae, qui ex illis redolet, in Inventario ad fanaticum ardorem exacuitur, qui in nostri facti historia apparet ex acerbitate, qua culpa ruinae Magdeburgi „den stoltzen Papisten“ adscribitur, et nefasta facinora ab his commissa ex fidei inter victores et victos diversitate derivantur. At ne hac quidem in re auctor sibi constat; namque in fine enarrationis excidii consortes suae fidei Lutheranae, qui frequentes „aus Meissen und anderen Orten“ inter Caesarianos fuisse dicuntur, arguit ejusdem immanitatis, quam in catholicis devovet. De politica Inventarii ratione idem dicendum est, ac de Armis Suecicis, quod tamen ad materiam historicam attinet, expositio facti nostri inferior est in Inventario. Arma Suecica enim excepto itinere Tillii Francofurtum a. V. versus facto nullum graviu factum praetermittunt; Inventarium autem neque d. 25. Ap./5. Maj. erupisse Magdeburgenses ex urbe, neque Sudenburgum et Novam Urbem suburbia a Caesarianis occupata esse commemorat, quo connexus

narrationis tollitur. Tam manifesto apparentibus indiciis operis temere conscripti, non solum justum, sed vel necessarium est, ut peculiaribus huic libro locis graviter diffidamus. Horum ex numero est narratio de impetu in Vectigal munimentum d. 15./25. Ap. facto. Temporis rationibus non contrarium foret, si hunc impetum eundem haberemus, quem Holsatiae dux et Wangler tribunus in illud munimentum fecerunt bombis injectis, cujus mentio fit in Theatro Europaeo,[1]) qui quidem factus est „etliche Tage vorher" quam Tillius Vectigal munimentum e Cornu Rubro invasit. Quod ingressus est d. 20./30. Ap. Sed concedamus, diem verum esse datum in Inventario, quamvis nusquam indicetur, tamen quae singula de hoc impetu traduntur, adversantur narrationi Theatri Europaei Dum enim in hoc referatur, bombas tantummodo esse injectas in vallum, incursionem autem ejus ob conspicuas difficultates consulto omissam, secundum relationem Inventarii incursio suscipitur et cum jactura quidem ducentorum hominum a parte Caesariana. Praeterea Inventarium narrat infelicem conatum aggrediendi ab utraque parte Vectigalis munimenti per trecentos sclopetarios, quum complures naves vado impulsae et fractae essent, ut earum praesidia aqua periissent. Ea res non magis aliorum testimoniis comprobatur quam narratio Inventarii de felice eruptione Magdeburgensium d. 29. Ap. / 9. Maj. facta in qua centum equites Caesariani sint concisi.

Literae inter Tillium et urbem datae in Inventario prorsus mire tractantur. Sic tres Tilii epistolae d. 24. Ap. / 4. Maj. datae integrae imprimuntur, ex tribus autem responsis unum tantum magistratus Magdeburgensis idque non integrum, sed correptum recipitur. De numero trium epistolarum d. 12. / 2. Maj. datarum in Inventario ea sola exstat, quae missa est ad magistratum, quum ejusdem epistolae tres de d. 8. / 18. Maj. rursum integrae sint injunctae. Verum omnes hae epistolae non suis locis narrationi intextae sunt, sed quasi appendices

---

[1]) v. tom. III. p. 359b.

post apologiam regis Sueciae demum adjectae. Ea mutilatio rerum inter Tillium et Magdeburgenses per literas actarum vix potest explicari inde, quod auctori Inventarii hunc in modum correptae praesto fuerint, quum eas Armis Suecicis a. 1632. additis multo copiosiores injunxerit.

Relationis de obsidione et excidio Magdeburgi vitia mature perspecta esse ex eo cognoscitur, quod parum tantummodo illius aetatis scriptores ea usi sunt. Nemo enim seriorum historicorum solum Inventarium, uti saepius Arma Suecica, solum fontem sequitur, sed passim tantum mentio unius aliusve rei huic operi peculiaris id non perperam rejectum fuisse demonstrat.

Eo impensiorem vim non solum in suae aetatis, sed etiam posterioris historiographia usque nostrum in saeculnm habet tertium Armorum Suecicorum scriptoris opus, „Theatrum Europaeum“ nominatum, cujus auctorem se nuncupat Abelinum. Id opus duabus partibus annos 1617—1635 complectitur et principem fontem historiae belli triginta annorum praebuit, donec patefactis archivis ad ea recursum est, quae singula de singulis illius periodi factis scripta erant. Quanti hoc opus fuerit aestimatum et quam late divulgatum numerosae ejus editiones et continuationes demonstrant.[1])

Frequentius etiam quam ex Armis scriptores oppugnationis et eversionis Magdeburgi e Theatro solo fonte hauriunt. Enaratio rei nostrae secundo in tomo ultima est omnium retractationum, quas in superioribus operibus auctoris diversisque earum editionibus subiit. Apparet operam in ea datam esse, ut aliter disposita materia aliis additis, aliis recisis, sive quo singulae narrationis partes magis inter se connecterentur, sive quo vera pro falsis praeberentur, connexus totius historiae arctior evaderet.

De mutationibus primi generis, quae quidem pleraeque sunt leviores, unam tantum commemoro, quae demonstret, vitia prioris expositionis ab auctore rem retractante partim

---

[1]) v. Wachler, Gesch. der hist. Forsch. tom. I, 2., p. 871.

emendata esse. Dicit einim in Armis a. 1632. editis: Den 24. Aprilis ist Graf Pappenheimb in die Newstadt gezogen und an vier Orthen angefangen Lauffgräben zu machen,[1]) quibus verbis prior pars historiae quasi finitur. Hoc enim loco interponitur narratio de Gustavo Adolpho Francofurtum a. V. versus progrediente eamque urbem capiente, qua finita auctor revertitur ad res Magdeburgicas tractandas his verbis: „Den 23. Aprilis zog früh Morgens der Graf von Pappenheim in die Newstadt und fing an an vier Orthen Lauffgräben zu machen.[2]) Et formae vitium hujus repetitionis et falsam relationem, Urbem Novam d. 23. Ap. | 3. Maj. a Pappenheimio captam esse et occupatam, quum testantibus ipsis Armis Suecicis eodem demum die comburereretur, auctor in Theatro emendat scribens tantum haecce: „Auf vorgedachten vierundzwanzigsten Aprilis ist Graf Pappenheim dess Morgens frühe in die Newstadt gezogen .... Darauff Pappenheimb an vier Orthen gegen der Stadt angefangen Lauffgraben zu machen.“ [3])

Multo magis quam hujuscemodi emendationes loci quidam Armorum Suecicorum animadvertendi sunt, quos hoc in libro copiosiores auctor in Theatro sive multo breviores reddidit sive plane omisit. Sic in Armis Suecicis plurimis verbis agitur de proditione Caesarianos ad felicem impetus eventum juvante, quae res in Theatro paucis modo attingitur. Literarum, quibus Magdeburgenses Tillium inducias rogaverint, Theatrum nullam mentionem facit, quod silentium relationes Armorum eo certius refellit, quo magis jam per se speciem fictionum prae se ferant. Namque secundum eas turris ad Portam Altam exstructa corruit „gegen Mittags Zeit.“ [4]) „Umb selbige Zeit“ Magdeburgenses tympanistam ad Tillium mittunt rogantes inducias quatuor dierum, et „umb Mittag„ Tillius per tubicinem recusat quae rogabantur. Haec coacervatio rerum in idem tempus, comparata cum temporis termi-

---

[1]) p. 146.

[2]) v. p. 156.

[3]) v. tom. II, p. 360a.

[4]) Arm. Suec. (1632) p 164.

norum laxitate, justam excitat suspicionem de hujus loci fide quae Theatri silentio de hac re merito angetur.

In iis, quae ab Abelino narrationi Armorum Suecicorum addita inveniuntur, praecipue notanda est lacuna in Theatro sublata, quae in Armis Suecicis relicta erat. Arma Suecica enim, postquam narratum est, quo modo munimenta exteriora omnia cum Bucaviensibus sint amissa, his verbis pergunt: „Weil aber der Herr Graf von Tylli befunden, dass er von vorne her an der Zollschantze nichts verbringen könnte, hat er sich an die Schantz, im rohten Horn gelegen, gemacht.“ Factus igitur erat impetus in Vectigal munimentum a facie, e regione impetus a tergo, quem Tillius capto Cornu Rubro hoc ex loco fecit. De eo impetu Arma Suecica prorsus tacent. Theatrum autem, quod res eodem quidem ordine narrat, relationi de capto Cornu Rubro addit, jam aliquot diebus ante in Vectigal munimentum impetum tentatum, sed propter magnam difficultatem et tempestatem vehementissimam omissum esse.[1] Magnum momentum etiam inest in eo, quod Theatrum literas inter Tillium et urbem datas paene integras communicat. Desiderantur enim in Armis Suecicis responsa administratoris et Falkenbergii ad Tillii epistolas d. 4. Maj. | 24. Ap. datas, responsi magistratus summa tantum reddita. Pariter Theatrum continet literas Tillii ad electores Saxoniae et Brandenburgi de intercessione in rebus Magdeburgicis missas, quarum mentionem Arma Suecica nullam faciunt. Videtur igitur auctor hoc consilium secutus esse, ut quam plurima diplomata expositioni rei intertexeret; cui opinioni id solum adversatur, quod in Theatro epistola illa Tillii, qua Magdeburgensibus pollicetur, sese eorum legatis, quos ad electores Saxoniae et Brandenburgi et ad urbes maritimas essent missuri, exitum et reditum concessurum, paucis tantum verbis attingitur, quum in Armis eadem sit integra inserta.

---

¹) In Theatro pro „von vorne her“ leguntur verba: „von ferrne her“ qui error ortum esse mendo typographico e conditione rerum a nobis exposita manifestum est.

Mutationes illae formae et materiae narrationis praecipue prosunt, indolem minus attingunt, quae est in Theatro atque Armis eadem.

Inter eos scriptores, qui in historia obsidionis et excidii Magdeburgi Theatrum solum sequuntur, primus Franciscus Christophorus comes de Khevenhiller nominandus est, auctor „Annalium Ferdinandeorum“ duodecim volumina maxima formae complectentium. Id opus copiosa est historia temporis Imperatoris Ferdinandi II, ab ejus nataliciis usque ad obitum, i. e. ab a. 1578 usque ad a. 1637, in vitae formam redacta. In historia annorum 1617 usque ad 1635 quae et a Khevenhillero et ab Abelino narratur, prior saepe alterum sequitur ad verbum. Sic quoque historia oppugnationis et eversionis Magdeburgi ad verbum ex Theatro deprompta est. Exiguis tantum mutationibus aliquot usus est auctor, quibus relationi suae colorem daret manifesto Catholio-Caesarianum. Sic auctor quosdam locos narrationis Theatri Caesarianis inopportunissimos silentio praeterit, attamen complures apud ipsum inveniuntur, quibus exercitui Caesariano minime parcitur. Quae quidem res minus ex eo sequitur, quod justus esse voluit auctor, quam quod traditio de hoc facto, quo tempore Annales Ferdinandei conscribi coepti sunt, ita munita erat, ut Khevenhiller cogeretur, veritati multa concredere, ne gravis partium studii argueretur. Praeterea pars epistolarum, et quidem tres illae Tillii de d. 27. Ap. | 7. Maj. omissae sunt Quo consilio id factum sit, facile apparet. Dicit enim auctor harum epistolarum loco: „Den Abend zuvor schickte der Graf Tilly einen Trompeter mit drey Schreiben, als nämlich an den Administratorn an den Magistrat und das dritte von Westerhaussen aus in die Stadt, darinnen sie zur Aufgebung ermahnt worden. Sie haben alle, wie auch der von Falckenberg beständig: Ehe zu sterben als sich zu ergeben geantwortet, doch gebeten, ihnen zu erlauben, Gesandte an beide Churf. von Sachsen und Brandenburg zu schicken.[1]) Frau-

[1]) Ann. Ferd. tom. XI. p. 1798.

dulentum esse hoc argumentum jam inde apparet, quod inepte constantiam adversus mortem turpem cum precibus legatorum mittendorum consociat. Re vera et magistratus et administratoris responsa liti componendae favent, Falkenbergii vero epistola nihil singulare continet sed simpliciter illarum duarum epistolarum argumento se applicat. Verum ob eam ipsam temperantiam Khevenhiller has epistolas omisit et argumentum stricte contrarium fuisse finxit; videbantur enim ei Magdeburgenses obstinati animi incusandi esse, ut Tillii in eos atrocitas inde posset excusari.

Inter pauca additamenta, quae in enarratione facti nostri apud Khevenhillerum exstant, hoc solum aliquid momenti habet: „Dem Grafen Tilly und denen Kaiserlichen hohen Officirern ist der Jammer und die von der unbändigen Soldatesca, wenn sie etwas mit Gewalt einnimmt, verübte Grausamkeit, sonderlich des grewlich unlöschliche, da man nicht eigentlich weiss, woher entsprungene Feuer von Hertzen leyd gewesen und haben es mit weinenden Augen betheuert; Erstlich wegen des Untergangs einer so schönen alten und mächtigen Stadt und hernach, dass sie hieraus zu Unterhaltung ihrer Völker, wie auch auf Quartier und anderes ein ansehnliches hätten ziehen können. Daher geschieht dem gedachten Grafen und denen Kayserl. und Ligistischen Kriegshäuptern von denen Historien-Schreibern Gewalt und Unrecht, dass sie es bezeugen, sie hätten an diesem Verderben und Einäschern der Stadt eine Freude und Frolocken gehabt [1])." Causam originis incendii notam fuisse hoc loco negans Khevenhiller ipse sibi repugnat verbis hisce: „Nachdem die Tillyschen etwan zwei oder drey Stunden in der Stadt gewesen, ist das Feuer, welches sie an unterschiedlichen Orten denen Bürgern zum Schrecken, damit sie keinen starken Widerstand thun könnten, angezündet, mit solcher Macht auffgangen etc. [2])" quibus a Caesarianis incendium conflatum esse aperte confitetur. Hic locus eam ob causam notandus est, quod a compluribus re-

---

[1]) Ann. Ferd. tom. XI. p. 1810.

[2]) eod. loco.

centioribus historicis culpam incendii a Caesarianis avertere et Magdeburgensibus ipsis imponere studentibus, consulto celatus, illud additamentum autem in ipsorum commodum conversum est. Majus momentum hic locus eam ob causam habet, quod in eo Khevenhiller primus animadversit, quantum damnum Caesarianis ex everso funditus Magdeburgo ortum sit, unde intelligi potuit, ducibus Caesarianis talem expugnationis exitum gratum esse non potuisse. Ad corrigendas scriptorum saeculi decimi septimi sententias de facto nostro locus ille nihil valuit, quia novissima tria volumina Anlium Ferdinendeorum-historia oppugnationis et ruinae Magdeburgi exstat in undecimo-anno 1721 demum edita sunt, quum novem priora ab ad a. 1640 a. 1646 in lucem prodiissent.

Eodem tempore conscripti sunt „libri LV. rerum Germanicarum sub Matthia et Ferdinandis II. et III. gestarum“ a Petro Lotichio [1]). Historia obsidionis et eversionis Magdeburgi, quae libro tricesimo septimo continetur, nihil est nisi narratio theatri in latinum versa et catholico colore tincta atque arctius etiam quam Annales Ferdinandei illo opere nitens. In ipsa expositione facti studium partium catholicarum ex eo praesertim apparet, quod Lotichius aliquot locos Theatri, quibus Tillius acrius culpatur, ooppressit et e contrario ei animum admodum mitem et placabilem vindicare studet. Sic auctore Lotichio Tillius Magdeburgenses humanissimis verbis hortatur ad deditionem ac denique interitu urbis vehementer commotus lacrimas fundit. Et quamvis jam fons suus Lotichio largas praebeat occasiones tribuendae Magdeburgensibus ipsis interitus culpae, tamen hujus cemodi aliquid addere conatur. Eo consilio tubicinem illum, quem Tillius d. 8 | 18. Maj. in urbem misisset, ait consulto retentum esse, licet nullam ejus consilii rationem eruere sciverit praeter caecum et imprudentem Magdeburgensium animum. Manifestius quam

---

[1]) Editio mihi obversans a 1646. prodiit; primam tamen jam a 1644 vel prius impressam esse inde colligitur, quod unum encomicornm operi praepositorum hoc anno notatum est.

in ipsa facti historia Lotichii animus elucet ex appendice, quam addidit. Hac continentur singulae quaedem res ex Armis Suecicis depromptae, inter quas narratio de ossibus S. Norberti Magdeburgo Pragam translatis praecipue notanda est eam ob causam, quod Lotichius illo ex tempore triste fatum Magdeburgi ordiri censet. Praeterea hac in appendice insunt duae elegiae, qnarum prior quae ejusdem nominis proavum Lotichii habet auctorem [1]), permultis in illius temporis libris commemorata provaticinio excidii Magdeburgi fertur. Altera est nostri Lotichii, et quid is senserit de fato Magdeburgi planissime ostendit hoc districho:

O pereant turres, fossae vallumque, nefandae
Urbes si penitus seditione ruunt.

Duobus catholicis auctoribns Khevenhissero et Lotichillo duos protestanticos adjungo, qui in scribenda historia facti nostri Theatrum habent fundamentum: continuator Meterani et Chemnitius. Ille Emanuelis Meterani opus „Wahrhafftige Beschreibung aller denkwürdigsten Geschichten . . . . . . von Anfang der Regierung Philippi andaris, Hertzogen zu Burgund ... bis auff das Jahr Christi 1612, viginti libris deduxit ad annum 1633. Sic id opus ex parte principe constat et ex appendice. cui est titulus „Continuatio Meterani.“ Hanc continnationem docet titulus partis principis jam a 1633. primum editam esse Amstolodami apud Guilelmum Blaeu [2]), nexum igitur cum Theatro habere non potuit, quippe quod editum sit a 1635 demum. Sed quae mihi obversatur editio Continuationis a 1651 publicata apud Johannem Blaeu, in relatione de obsidione et eversione Magdeburgi tam penitus cum Theatro convenit, ut dubitari non possit, quin tota rei nostrae narratio e Theatro tracta sit. Etenim non potest statui, continuatorem Meterani prorsus iisdem fontibus et prorsus eodem modo atque auctorem Theatri usum esse.

---

[1]) Petrum Lotichiom, professorem Heidelbergensem, qui obiit a 1560.

[2]) Vor diesem zwar von Jann Janssonio . . . . . aussgegeben, nun aber von Neuem . . . . . : ins Hochteutsche übergesetzet und biss auff das Jahr 1633 auffs fleissigste contiruiret etc.“

Continuatori Meterani propositum fuisse videtur, ut tantummodo ea, quae facta essent in decursu oppugnationis, referret. Itaque literas inter Tillium et urbem datas praeterit, excepta epistola Tillii d. 18 | 8. Maj. ad administratorem missa, pariter ac quosdem excursus Theatri proprios, quales sunt de statu munimentorum et de numero Magdeburgensium qui perierint.

Quid ad statuendum publicum in Hollandia de facto nostro judicium valuerit, eam ob causam cognosci non potest, quod de eadem re jam in editione Continuationis de anno 1633. aliter, licet simili modo, ut probabile videtur, actum erat.

Minus arcte quam Continuator Meterani ad Theatrum accedit Bogislaus Philippus de Chemnitz, historiographus regius Succicus, in opere suo: „Königlich Schwedischer, in Teutschland geführter Krieg.“ Id opus constat e sex voluminibus maximae formae, sed duo dumtaxat prima, quibus bellum a Gustavo Adolpho in Germania gestum continetur, prelo tradita et a 1648. Palaeo-Stetini in lucem edita sunt. Ea ipsa pars belli triginta annorum jam tractata erat in Armis Suecicis, in Inventario Sueciae, in Milite Suecico et apud Burgum. Ejusdem materiae tractatio jussu regio repetita a scriptore eam ad rem instituto demonstrat priores autores rei Suecicae nondum satis profuisse visos esse; quod facere Chemnitio commissum est.

Chemnitius in praefatione ait, praecipue se archivi regii Suecici ex materia hausisse, et de iis tantum rebus, quae illiuc lucem non haberent, sui temporis historicos pro fontibus consuluisse. Rerum hujus generis in numero est oppugnatio Magdeburgi, de qua in archivo Suecico nihil potuit inveniri, quum inter hanc urbem et Sueciam literis nihil erat actum. Hac igitur in re auctor plurimum sequitur Theatrum solum in relatione de bombis injectis, quod factum est ad. 7 | 17., 8 | 18., 9 | 19. Maj., et de fato diei 10 | 20. Maj. Arma Suecica sequitur, quae de novissimo die

pluribus quam illud referunt. Singula quaedam Chemnitii propria esse videntur, e quibus praecipue animadvertenda est mentio epistolae Magdeburgensis ad conventum Lipsiensem scriptae, et appellatio nominis Bertram Pape, ut ejus mercatoris Hamburgensis, qui Caesarianis emolumentorum ad oppugnandam urbem necessariorum commeatum subduxerit. Sunt inter fontium relationes, quae Chemnitius rejecit. Quod silet de secunda eruptione Amsterrothii[1]), id negligentia factum mihi videtur, quoniam certam ejus silentii causam reperire haud facile quis poterit. Epistolas in Theatro plerasque integras excusas Chemnitius correptas tantum reddit.

Neque in his mutationibus materiae fontium, neque in enarratione obsidionis et eversionis Magdeburgi praecipuum studium favendae rei Suecicae cognoscitur, quamquam illud alioqui paene in singulis quibusque paginis apparet. In eo tantum, quod auctor in expugnationis narratione minutiores relationes Armorum Suecicorum sequitur, minus commode Caesarianis sonantes quam moderatior expositio Theatri, consilium subveniendi quodam modo rei Suecicae perspicere mihi videor. Aperte id non facit nisi iis verbis, quibus apologiam regis Sueciae ad narrationem facti adjungit; illum „aller Ihm in den Wəg geworfenen difficultaeten ungeachtet vor dismahl ein mehreres nicht in confideration gezogen, als wie er die Stadt Magdeburg retten und des Feindes Macht davon abziehen möchte.“ Horum verborum veritatem demonstrare auctor non periclitatus est, quamvis hoc modo regis sui rem etiam adversum odium e Magdeburgi ruina ortum optime potuisset defendere.

Auctores, quorum adhuc rationem habuimus omnes ipsis narrationibus Armorum et Theatri ut fundamentis traditionis utuntur. Sunt igitur eorum relationes derivationes primi gradus. Derivationes secundi gradus eae narrationes dicendae sunt, quae non illis in fundamentis ippis, sed derivata in re-

---

[1]) cf. Theatr. tom. II. p. 317.

latione positae sunt. Sic in narratione facti nosti Carata sequitur Burgum, Brachelius Lotichium, Pufendorffuis Chemnitium.

Caroli Caratae, episcopi Aversani-Commentarii de Germania sacra restaurata inter praestantissima opera historica de bello triginta annorum eo tempore scripta habentur, verum tamen ea lande proprii commentarii soli sunt digni, a quibus Continuatio longe removenda est. Proprii hi Commentarii tempus ab a. 1619. usque ad annum 1629. tractant, quo Cavata munere nuntii apostolici Vindobonae fungebatur, atque haec sst causa, cur iis magna auctoritas tribuatur, praecipue quod auctor inter aiios multum ad perficiendum edictum, quod restitutionis vocatur, contulisse creditur [1]). Quales Carafae ad edictum illud relationes fnerint dubitare muneris sui natura vetat. At quod pertinet ad Continuationem Commentariorum plane alia est res. Hanc enim continuationem complectentem temporis spatium ab a 1629 usque ad a 1639. conscribens auctor, postquam revocatus Vindobona et reversus Aversam est, longius aberat ab iis regionibus, quibus res ab eo narratae gerebantur, quam qui pari modo ac de antecedentis decennii rebus potuisset judicare. Ad sedem suam episcopalem pauci tantum fontes pervenisse videntur, namque de annis 1629. usque 1634. agens solum Burgum sequitnr fontem, et ita quidem, ut eum ad verbum exscribat. Quod quum protinus ab initio continationis faciat nullo idoneo exordio eam cum Commentariis connectens, ambae operis partes etiam externa specie manifesto sejunctae sunt. Namque in Commentariorum fine pugna ad Wolgast inter Christianum IV. Daniae regem et Wallensteinium d. 22. Aug. | 1. Sept. a. 1628 commissa narratur. Continuatio autem ab his verbis orditur: „Habita interim Stockholmiae conventu [2]). At is conventus a 1629. demum die 19. Maj. habitus est [3]). Debebat igitur Carata „interim“ saltem verbum delere, quo conventus ille eodem tempore quo pugna ad Wolgart facta ponitur. Ejus

[1]) Anthieny, de Carolo Carafa, diss. Berol. 1864.

[2]) Burgus, p. 38.

[3]) Geiger, Gesch. Schwedens. tom. II. p. 165.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

De temporis spatio usque ad occupationem Sudenburgi et Urbis Novae lapso brevissimis tantum verbis agitur atque ab hoc demum initio augustissimae circumsessionis urbis narratio aliquanto uberior incipit. Discedens aliquando a fonte suo et animum suum Caesarianum apertius quam Lotichius ostentat et notitiam aliarum de facto nostro relationum demonstrat. Ita refert, Pappenheimium domos incendi eo consilio jussisse, ut urbani ex iis dimicantes telis in suos milites expellerentur, quum auctore Lotichio illud ideo tantum faceret, ut vires defensorum distraheret ad incendium restinguendum eos compulsurus. Brachelius aptiorem causam excitandi incendii requirit quam quae nuda utilitate miltari praebetur. Simul eam opinionem, qua Magdeburgensibus ipsis magna pars culpae incendii tribuitur, non minus vulgatam esse dicit quam alteram, qua Pappenheimio tota adscribitur. Id studium tuendae rei Caesarianae acrius quam antehac factum erat, ideo notandum est, quod publicum de facto nostro judicium viginti annis iis, qui usque ad primam editionem operis Brachelii a. 1651 factam praeteriissent, a partibus Caesarianis aversum esse docet.

Ut propter brevitatem relationis Brachelii de facto nostro fons ejus cognosci non potuit nisi ex iis, quae auctor ipse de fundamento suo dixerat, sic etiam Chemnitium esse fontem Pufendorffii ex hujus historia oppugnationis et excidii Magdeburgi statui non potest nisi habita ratione loci cujusdam in praefatione ad Pufendorffii libros viginti sex. „De rebus Suecicis," quo se in scribendis primis libris praecipue Chemnitio innisum esse dicit. Causa autem contrahendae narrationis apud Pufendorffium non est sola voluminis operis ratio, sed inde oritur, quod auctor plane memor est, se Suecicam historiam scribere, in qua narratio facti nostri eatenus tantum locum habet, quatenus opus est ad explicanda itinera regis per tempus obsidionis et ad demonstrandum connexum inter res ab illo gestas et hoc factum bellicum. Corripiens materiam auctor narrationem rei nonnumquam obscuriorem facit. Sic ex Pufendorffii expositione videtur sequi initium

tractandi de conditionibus deditionis factum esse ab urbanis obsidentium progressus metuentibus et quidem induciarum rogatione, quod contra hae demum rogatae sunt postquam Tillius de componenda lite tractare coepit. Etsi obscuris talibus locis dignitas historica narrationis Pufendorffii minuitur, omnibus tamen superioribus relationibus praeferenda est, quod ejus auctor proprium de facto nostro judicium profitetur liber ab aliorum sententiis. Pufendorffius hac de re non judicat respiciens horrendum ejus exitum, sed conditionem rerum quae tunc erat. Itaque eum neque politico neque confessionis impulsu in errorem abductum fugere non potuit ingens Magdeburgi ad res bellicas opportunitas, quippe quo loco capto et subsidium in rebus adversis sibi parare et electores Saxoniae et Brandenburgi a foedere Suecico retinere Tillius potuisset. [1]) Quam quidem opportunitatem neque ille neque duces ei subditi non videre non poterant. Si tamen res ad impetum necassariae parabantur, decipiendorum civium causa hoc actum erat ad injiciendam defensoribus formidinem, atque si impetus re vera suscipiebatur, id inscio Tillio factum esse [2]) sibi persuasum erat. Ostendens vitium bellicum, quod Tillius Magdeburgum consulto diruens commisisset, scriptor Suecicus eum melius absolvit ab accusatione urbis sua sponte deletae quam omnes illi catholici auctores lacrimas misericordia fusas ei adscribentes.

Ne brevitate quidem narrationis facti nostri occuli potest, quantum Pufendorffius historiographus auctoribus, quos adhuc nominaviums, praestet. Is primus e rerum conditione causas monstravit, quae novissimis decenniis denuo urgendae

---

[1]) „Ea urbe, in qua maximum momentum, ad sistendos Gustavi impetus, simul coërcendis Saxoniae et Brandenburgi Electoribus positum erat, Tillius utique potiri connitebatur.

[2]) Id nonnulli instinctu centurionis cujusdam Itali a Pappenheimio susceptum tradunt inscio Tillio, qui licet copias ad impetum faciendum disposuisset, ostentare vim quam inferre maluerit, ut integra urbe potiretur.

fuerunt, quo ostenderetur, falso adhuc Magdeburgum de industria eversum a Tillio dictum esse.

Duas in classes illas derivationum primi et secundi gradus opera quaedam inseri non possunt, quae partim ex fontibus, partim ex operibus derivatis narrationem facti nostri hauriunt, vel quibus res superioribus in operibus non traditae continentur.

Veterrimus horum librorum latiore ex fundamento exstructorum nomen habet „Mercure françois." Hic pariter ac „Soldat Suedois" a. 1633 prodiit ac fortasse paucis tantum mensibus natu minor est quam ille, quam rem inde colligo, quod Mercurius Inventarium in usum suum convertit, cujus vestigium prima in editione alterius libri nullum apparet. Omnino autem Mercurius quoque Arma Suecica sequitur. Inventarii vero usus inde cognoscitur, quod in Mercurio propria Inventarii invenitur narratio, cuniculos a Caesarianis confectos Magdeburgensibus nihil damni effecisse, imo explodentes iis ipsis, a quibus confecti essent, noxam intulisse; et sequitur Mercurius Inventarium per tempus expugnationi Magdeburgi proxime succedens, at hinc in eo peccat auctor quod dies secundum calendarium novum computat, quum usque in dies expugnationis calculo veteris calendarii usus sit. Causa hujus mutationis, quae mirabilior possit videri, quod et Arma et Inventarium utpote protestantici fontes vetere stylo utuntur cognoscitur in hoc: auctor Mercurii Arma Suecica sequitur usque ad locum de d. 21. Maj., quo captivis praedicatoribus Magdburgensibus excepto Dr. Gilberto libertas reddita narratur et hoc loco demum subnectit narrationes Inventarii de diebus a 13. usque ad 15. Maj. Ex Armis et Inventario narratio Mercurii de oppugnatione et expugnatione Magdeburgis omnis componi potest excepto hoc loco: „Mais le colonel Farensbach en fit faire quelques unes (i. e. des mines), qui incommoderent les assiegez plus que n'avoient fait tontes les autres. Cela lui fit gagner les bonnes graces du General, avant qu'il eust aussitost Patentes pour lever un Regiment." Hoc loco refertur de facto nimium certo, quam

quod pro inani auctoris inventione possit haberi; sed unde depromptus sit hic nuntius indicare non possum.

Relatio Mercurii arcte applicati ad fontes suos nec singulare qnid facere potest ad illustrandam historiam facti nostri, neque alterutrius partis favorem spirare. Atque hujus auctoris non erat a certis partibus stare in re, qua Francogallorum commodum non attingebatur.

Ponitus diversam ab omuibus relationibus, quas adhuc recensuimus materiam habet ea narratio, quam comes Galeazzo Gualdo Priorato in „Historia della guerre di Ferdinando II e Ferdinando III e de Re Filippo IV di Spagnia contra Gustavo Adolpho, Re die Suecia e Luigi XIII Re di Francia“ praebet. Quodsi ex ordine nominum ducum Magdeburgensium occisorum et praecipue ex transformatione nominis „Longius“ in „Loemnies“ licet conjicere, Gualdus usus est Armis Suecicis, in quibus hoc nomen scribitur „Loennies;“ at non his solis; imo complures relationes de obsidione et excidio Magdeburgi in usum suum videtur convertisse, id consilium solum sequens, ut narrationem conficeret, qua lectorum animi quam plurlmi caperentur, ejusque consilii gratia a veritate discessit. Ut enim mittamus profundum silentium de iis, quae urbani defensionis causa paraverunt, prorsus confusa est expositio rerum a Caesarianis institutarum. Sic praetorium Tillii, quod erat in pago Westerhausen, meridiem versus ab urbe ad sinistram Albis fluminis ripam, prope Vectigal munimentum collocat: ergo orientem versus ad dextram ripam; et ducis Holsatiae, qui inter septentrionem et occidentem in regione portae Kroekenthor appellatae Caesarianis praeerat, imperium extendit prope Cracaviam usque, nullo dicto termino, a quo inciperet. Circiter eadem in regione a vallo Heideck usque ad Marsch-Durchschnitt comitem Mansfeldium copiis praefuisse narratur. Quam causam indicant Arma Suecica et deinceps aliquot alia opera, cur in regione Sudenburgi d. 9. | 19. Maj. tormenta conticuerint et pars eorum sit retrorsum acta,[1]) ea Guldus non est

[1]) v. supra p. 7.

contentus. Narrat is potius, Tillium coactum difficultatibus urbanorum fortitudine sibi objectis, postquam jam usque ad marginem fossae progressus esset, ad stratagema confugisse. Eo consilio tormenta, quae in „munimentum Sudenburgi" directa fuissent, remota fuisse consciis proditoribus in urbe, qui, quoniam obsidio tolli videretur, vesanam laetitiam finxissent, quo certius Magdeburgenses fallerentur. Tillium consilium d. 9. | 19. Maj. convocatum de consilio suo certius fecisse et consentientibus ceteris incursionem in tempus matutinum postridie ejus diei constituisse. Electis ad eam rem fortissimis undique simul incursatum, sed obtrusis difficultatibus jam de recessu cogitatum esse. Pappenheimium solum suos ad repetendam incursionem lateris Urbi Novae objecti adhortatum esse, ubi urbem minus firmam munimentis et custodiis ab exploratoribus nuntiatum esset. Ejus incursionis successu Caesarianos urbem intravisse. Inter tumultum ab expugnantibus excitatum Gualdo auctore incendium hoc modo oritur: Miles quidam tabernam intrat, et sclopeto cum ardente funali temere abjecto ad vas sulfure plenum, et sulfur ac deinde multae aliae materiae inflammabiles juxta sitae incenduntur, et sic miles ille auctor fit invitus incendii, quod in urbe tota e ligno aedificata tam copiosa nutrimenta invenit, ut eam praeter centum et quadriginta domos totam exurat. Ad illa si addimus id, quod refertur in fine narrationis, proditores, quum domos suas suspensis aquilis Caesarianis notavissent, a praedatoribus eo insigni allectis interfectos esse, veritis, ne illorum querelae postea sibi causa poenarum fierent — hi sunt praecipui colores, quibus Gualdus obsidionem et interitum Magdeburgi exornavit.

Sic nono jam anno post factum nostrum historia ejus tractari potuit; prima enim editio Historiae belli Ferdinandi II. etc. prodiit a 1640. Ei usque ad a. 1646. aliae quatuor successerunt, unde apparet, Gualdi modum historiae scribendae permultis placuisse [1]. Semper enim iis scriptoribus, qui in

[1] De Francheville, histoire des derniéres compagnes etc. praefat.

rerum narratione plurimum casui tribuunt, quod Gualdus facit" fortuito quasi postremum Pappenheimii iimpetum feliciter evenisse et fortuito incendium ortum esse narrans, applaudent ii, qui historiam legunt, ut animum oblectent, non ut discant. Certum alterutrius partis religiosae aut politicae studium in expositione obsidionis et incendii Magdeburgi non conspicitur, neque exspectari potest in homine mercenario et militari et politico, qualis fuit Gualdus, qui deinceps, se ipso in praefatione operis sui testante, stipendia meritus est sub Mauritio Oraniensi sub Ernesto Mansfeldensi, in Francogallia contra reformatos, in Britannia inter milites Friderici V. Palatini electoris gratia conductos, bello Mantuano in exercitu Caesariano sub Wallensteinio, sub Hornio, denique sub Bernhardo Vimariensi. Historiae scriptor mercenarius serviit Mazarino cardinali, Christianae, reginae Sueciae, Leopoldo I imperatori.

A. 1712. de Francheville, lector et bibliothecarius Henrici principis Borussici, Gualdi Historiam cet. in linguam francogalliam vertit sub titulo: „Histoire des derniéres campagnes et négociations de Gustaphe Adolphe en Allemagne." Adjecit adnotationes ad refutandos errores, quorum fons, quatenus ad nostram rem attinet, solo in Theatro Europaeo est. Eodem fundamento nituntur adnotationes auctoris anonymi militares quae insuper sunt additae. Huic expositio facti nostri parum digna videtur, cujus homo helli peritus rationem habeat; at quibus mendis laboret non explanat, sed tantum vituperat vitia, quae ipsi quum ab oppugnatoribus tum ab oppugnatis commissa videntur secundum narrationem Theatri.

Latius fundamentum quam omnia opera adhuc considerata habent Josephi Ricii „de bellis Germanicis libri decem." Ex historia obsidionis et eversionis Magdeburgi demonstrari potest, ei omnes auctores, qui ante ipsum-cujus opus a. 1644 primum prodiit [1]) — id factum enarraverunt neque interpretes tantum fuerunt, ut auctor Militis Suecici, cognitos fuisse. Ut ex dispositione narrationis apparet, Riccius praecipue

---

[1]) v. Wachleri Gesch. der hist. Forsch. tom. I. part. 2. p. 578

Arma Suecica sequitur; narratio impetus in Vectigal munimentum navigiis facti demonstrat, usum Inventarii,[1]) mentio Farensbachii, quem mutato nomine appellat Fortembachium,[2]) indicat, auctori Mercurium Francogallicum cognitum fuisse. Connexum inter Riccium et Burgum coarguit magna similitudo inter Burgi locum: „Sexto decimo Cal. Jun. novam urbem juxta longa ruina est edita“ et verba Riccii: „Eadem die ea moenium pars, quae urbem novam spectabat, quassata ingenti ruina prociderat.“ Aliquot loci ex praecedentibus Riccio auctoribus mihi cognitis non possunt derivari. Sic narrat eruptionem, quam fecerit tribunus quidam Bajus (quod videtur esse Germanicum nomen Boye) cum ducentis equitibus ad exploranda Caesarianorum valla in dextra Albis ripa exstructa. Is igitur a Caesarianis in Vectigal munimentum reprimitur; sed postquam quadringenti milites ex urbe auxilio venerunt, denuo progreditur. Iterum repulsus mortuos secum asportans optimo ordine servato in urbem se recipit. Neque consulis Magdeburgici Kühlewein,[3]) quem Riccius appellat Khellevienum et proditionis ignominia afficit, causa propter suum in patriam urbem reditum ab ullo auctore ante Riccium memoratur. Existimandum est igitur, has res ad eum pervenisse nuntiis privatis, quales ab amicis Vindobona Francofurto a. M., Augusta Vindelicorum se accepisse in praefatione ait.

Riccius minus quam ceteri auctores ejusdem temporis fontibus suis inhaeret. Licet saepe aliquantulum tantum eos mutat, nunquam tamen ad verbum eos exscribet vel vertit. At per has mutationes saepe longius a fontibus suis dis-

---

[1]) V. supra p. 16.

[2]) Riccius Germanica nomina propria nominibus latinis assimilaturus immodica utitur licentia Sic Carl Huno Amsterroth ab eo mutatur in „Annonius,“ praenomine Huno tantum in latinam formam redacto. (cf. praef. ad lectorem: Recentia .... nomina .... quam plurima potui, ad antiqua latina revocavi, ne qua barbaries latini sermonis nitorem inficeret.)

[3]) v. Hoffmann, Gesch. der Stadt Magdeburg, tom. III, pp. 151—153

cedit atque iisdem non nunquam adversatur.[1] Praesertim Riccius suum arbitrium sequitur in narratione expugnationis, ubi nihil aliud agere quam lectorum animos captare videtur.[2]

Ita Riccius adauget numerum errorum, qui ex fontibus in ejus narrationem influxerunt. Burgi errorem, qui Suecicum praesidium in urbe fuisse existimare videtur, Riccius quasi firmiorem reddit addens: „Recusarunt Sueci audacter sub divo durare et objici hostium incursibus, quum auxiliares a suo rege praesidio urbi, non agro venissent. Hinc enim plane apparet Riccium putare manum Suecicam a Gustavo Adolpho missam auxilio esse, quum apud Burgum nihil vetuerit existimare, Suecorum nomine mercenarios Germanicos Suecica stipendia facientes notatos esse.

Ad illa varia menda narrationis Ricii accedit, quod non ubique pari modo conservandum connexum curat. Ita fieri non potest, quin lector in dubitationem inducatur, si ejusdem paginae altera in parte Pappenheimio, in altera Tillio summum exercitus oppugnatorii imperium adscribitur. Ea mutatio Riccii narratione in obscuro relinquitur, quia neque Tillium Magdeburgo esse profectum in ducatum Megapolitanum et inde rediisse, neque Pappenheimio summum imperium

---

[1]) Sic Riccio auctore legatio ad electores Saxoniae et Brandenburgi et ad urbes maritimas perniciosa incuria omittitur, quamvis eam prohibitam esse a Tillio constet negata legatis venia exeundi et redeundi, quam jam promiserat. Porro Riccius centurionem Boese, qui munimento in Kreuzhorst sito praefuit, facit transfugam, qui re vera loco suo cessit, quia ultra eum teneri non posse perspexerat. Repetitis incursionibus in custodiam quandam a legato fortiter defensam ceteri omnes consentiunt Caesarianos amisisse plus centum homines, et capta denique domo praesidium haud numerosum excepto legato interfecisse. Riccius contra ait Caesarianorum nonaginta dumtaxat homines occisos, hostes eorum non interfectos esse, sed ad ipsos transiisse.

[2]) Eo consilio res intertexit tales: Centurionem Schmidt ad mortem vulneratum ad murum se acclinasse et hujus ruina enecatum esse, dum fontes Riccii tradunt, eum captum et cum administratore Wolmirstedium abductum esse; administratorem ipsum, quum propter pedis vulnus stare non jam posset, in genua prolapsam se defendisse, qui tamen equo vehens a Caesarianis captus est.

mandatum fuisse narratur. Pariter Riccius silet de amisso vallo in Cornu Rubro, attamen id a Falkenbergio eruptione facta paene recuperatum esse dicit.

Juxta illos in rebus singulis errores id quoque Riccio commune est cum auctoribus, qui ante eum de Magdeburgi excidio scripserunt, ut illud factum aestimet ad religionem spectans, non ad conditionem rerum publicarum.

Cum omnibus illis vitiis expositio facti apud Riccium tamen notabilis est ob formam elegantiorem quam visa est in ejus fontibus. Magna connectendarum singularum narrationis partium et versandae linguae latinae facultate Riccius imaginem lucidiorem concinnat quam antehae factum erat, et plane probat suam historiae soribendae artem.

VITA.

Natus sum Otto Elieser Kretschmann d. 21. mens. Sept. d. 1841. Belgrae, patre Ottone Kretschmann, quastore urbano. Literarum elementis imbutus in gymnasio Torgovano ineunte aestate a 1862 civium academiae Halensis numero adscriptus sum. Postquam per quinque semestria scholis interfui virorum illustrissimorum: Bergk, Bernhardy, Dümmler, Erdmann, Haym, Schaller, mense Octobri a. 1864 Berolinum me contuli ibique per duo sehistoriae lectionibus usus sum vir. ill. Droysen, Haupt, Koepke Massmann, Trendelenburg. Ineunte hieme a 1866 Halas redii, historiae studio praesertim incubiturus, qua in re maxime adjutus sum exercitationibus historicis, ad quas, ut jam antea Koepke Berolinensis, viri doctissimi Dümmler et Droysen me admiserunt. Quibus viris omnibus optime de me meritis summas gratias et nunc ago et semper agam.

THESES.

I.

Recte censuit Aristoteles, amicitiam esse non posse nisi inter bonos.

II.

Falso Mommsen belli Punici secundi initium posuit in anno a. Ch. 219.

III.

Annales Laubacenses post a. p. Ch. 926 conscriptos esse contendo.

IV.

Edictum, quod restitutionis vocatur, minime justum ac legitimum est neque consentit cum pace religionis Augustana, quamvis hoc a catholicis dicatur.

V.

Petrus Baptista Burgus, Commentariorum de bello Suecico auctor, Suecica stipendia non meritus est.